Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Sunt nonnulli quos sentiendi simul & dicendi inopia angus
tat. sed nonnulli qui efficaciam dicendi habent. sed acumen senti
endi non habent. & sed nonnulli qui acumine sentiendi sub
nixi sunt. sed ex inopia locutionis obmutescunt. Hoc namque
in hominibus cernimus. quod in rebus sepe insensibilibus uidemus.
Nam plerumque & habundans aqua ab intimis ducitur. & largis
in superficiem meatibus diriuatur. plerumque angusta in intimis latet.
& progrediendi rimas difficulter inueniens. foras angustior
exudat. plerumque minima in absconditis oritur. cumque patentem
qua exeat inuenit. ex largo foramine tenuis procedit. magnisque
se meatibus dilatat. sed non est quod fundat. Plerumque uero ampla in ab
sconditis surgit. sed angustis pressa meatibus tenuissima profluit.
Sic itaque in aliis os patens emanat. quod largus ingenii fons
ministrat. in aliis intellectum nec sensus porrigit. nec lin
gua fundit. in aliis os quidem ad dicendum patet. sed ad redden
dum parata a sensu lingua nil accipit. In aliis uero largus sen
tiendi fons a corde exuberat. sed hunc quasi meatus tenuis
impar lingua coangustat. In quibus nimirum quattuor di
cendi qualitatibus sola crimini tercium subiacet. que hoc sibi
per locutionem arripit ad quod per ingenium non assurgit. Nam prima
laudanda est que utroque ualentem pollet. secunda miseranda que
utroque humiliter caret. quarta adiuuanda que explere quod
sentit non ualet. tercia uero despicienda atque reprimenda que dum
sermone se erigit. sensu iacet. que membris inflatione tu
mentibus similis ad aures audiendum uasta sed uacua procedit.
Quod nunc baldad ad beati iob crimen intorquet dicens. Spiritus
multiplex sermonis oris tui. Qui enim multiplicitatem
ad [illegible] sermoni oris tribuit. profecto cordis inopiam reprehendit.